



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

II. Regulirung des Bezirkes für die Predigermönche zu Kamin und zu Soldin, vom 6. Juni 1289.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

nali, eo nichilominus habito et incluso, quod hartungus constagnationem molendini sui, id est dik, uel eciam ipsum molendinum per eminentiam nullatenus debeat exaltare. Preterea quoque stagna quinque, scilicet Soldin primum, Lubbesse secundum, elitzce tertium, Lecze quartum, Gezeriz quintum, libere addidimus ciuibus prenotatis cum suis obuencionibus perpetuo possidenda, adicientes insuper omnia illa, que prehabita stagna in tota sua humentacione uel ascensu, que ein stouinge publice denotatur, poterunt continere, iidem ciues debeant iure censuali possidere. Preter id insuper theloneum quodlibet in ciuitate Soldin liberum statuimus et solutum. Cum hiis eciam omnem censum ortorum obtulimus in subsidium prehabite ciuitati, illo duntaxat censu excepto, qui prouenerit de ortis adiacentibus curie et de Curia, que fuerat monachorum. Similiter eciam statuimus, ut omnes ciuitates uel uille construende uel constructe Soldin iura sua debeant requirere seu afferre, salvo tamen iure nostro in omnibus alieno. Demum uero talem contulimus gratiam et fauorem, ut omnia edificia, que in foro uel alibi in eadem ciuitate posita fuerint, censum soluere debeant prehabite ciuitati. Ut autem predicta donatio robur assumat perpetuo ualiturum, presens scriptum in lucens testimonium scribi et sigillis nostris iussimus communiri testibus subnotatis, domino f. de Bruncouue, aduocato nostro, h. de sidouu, Johanne de peruueniz, Ottone et Conrado, fratribus, de winnunge, Bernharde de ztrele, Johanne de koningelmarc, Bruningo de ofterborch, theoderico de leuendal et aliis quam pluribus claritate fidei approbatis. Datum anno domini millesimo ducentesimo Octuagesimo primo, In festo sancte trinitatis.

Nach dem Original des Soldiner Stadtarchives.

## II. Regulirung des Bezirkes für die Predigerbrüder zu Kamin und zu Soldin, vom 6. Juni 1289.

Vniuersis hanc paginam inspecturis Frater Arnoldus Scotus, prior Portensis, frater Martinus, lector de provincia Hispanie, et frater Poncius de provincia Grecie, Salutem in domino Jhesu Cristo. Caritati vestre presentibus innotescat, quod nos, per venerabilem patrem fratrem Simionem, magistrum ordinis, ac diffinitores capituli generalis, apud Treuirim celebrati, terminorum iudices constituti, diligenti examinatione prehabita inter terminos Soldinensium, de provincia Theutonie, et Kaminensium, de provincia Polonie, inspectis etiam diligentius limitationum literis, auditis quoque rationibus ex utraque parte allegatis ac inuenta ueritate, auctoritate nobis concessa sic pronunciauimus per presentes, ut fratres de Kamin terminos suos secundum limitationem factam inter eos et Struthbergenses auctoritate fratris Jobannis, quondam magistri ordinis, per venerabiles patres fratres Augustinum, provincialem Dacie, provincialem Theutonie et Prouincialem Polonie, confirmatam quoque per venerabiles patres fratrem Hermannum, priorem Struthbergensem, fratrem Nicholaum, priorem Glogouiensem, et fratrem Nicholaum, lectorem Lundensem de provincia Dacie, infra quos terminos ciuitates hee, uidelicet Perich, Stargart, Griphenhayn, Arniswald cum villis et opidis suis quam plurimis includuntur, pro quibus ciuitatibus fratres Kaminenses coram nobis et fratribus Soldinensibus, quod eas inuaderint,



specialiter sunt conquesti, secure possideant et quiete; fratribus vero de Soldin precipimus, ut predictos terminos ac ciuitates memoratas predicationis vel questus gratia ingredi non presumant, inponentes eis silentium perpetuum super terminis memoratis ac iniungentes eisdem, ut cum fratribus Kaminensibus de ablatis in terminis supra dictis infra VI menses a terminatione capituli memorati conferant et componant. In cuius rei testimonium sigilla nostra duximus presentibus apponenda. Datum anno domini M. CC. LXXXIX., VIII. Idus Junii, in nostro capitulo generali.

Nach dem Originale im Stettiner Provinzial-Archiv. Mittheilung des Freih. v. Medem.

III. Markgraf Albrecht gründet das Collegiatstift Soldin und bestätigt den dortigen Prediger-mönchen die Holzungsgerechtigkeit in den dem Stifte beigelegten Waldungen, am 1. Juni 1298.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis amen. Albertus, Dei gratia marchio Brandenburgensis, Omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Ille Pater familias ante omnia secula Deo Patri in substantia manens semper equalis, in fine seculorum per hominem factus homo, vineam suam, ecclesiam uniuersam de gentibus vocatam, nouo fetu cotidie multiplicat et adauget; cum non solum in ea hora prima, tertia atque sexta, verum etiam decima atque undecima, per quam finis seculi designatur, operarios mittere non desistit, qui eam purgatam fordibus peccatorum cum incremento fructus bono operariorum de virtute crescere faciant in virtutem et Deum in Syon facie in faciem contemplari. Huius vitis propagines Nos, qui populum nobis subjectum temporali regimine gubernamus, per novorum industriam operariorum, qui eam circumfodiant atque putent, extendere cupientes et pia sollicitudine precaueri, ne aper de sylua et singularis ferus eam exterminet vel depascat. In ciuitate nostra Soldin ad honorem Dei omnipotentis eiusque matris Marie virginis gloriose et specialiter beatorum Petri et Pauli apostolorum, ipsius ecclesie patronorum, de consensu et consilio venerabilis patris, domini Petri, Caminensis ecclesie episcopi, ordinis predicatorum loci diocesani, fundauimus et instituius canonicorum et prebendarum numerum duodenum, qui ibidem ecclesiam domino congregatam regant et ei presideant verbo, opere et exemplo et dominum pro nostris, pro\*) filiarum et successorum nostrorum omniumque fidelium viuorum et mortuorum excessibus iugiter interpellent. Sane ne propter defectum rerum temporalium huiusmodi canonicis institutis vel pro tempore instituendis seruiendi domino copia subtrahatur, villas subscriptas\*\*) Brunckow\*\*\*) cum suis limitibus, Wukun cum suis limitibus a loco, qui Wilkule dicitur, usque in paruum stagnum Wukun et inde in magnum Wukun et inde descendendo per riolum Bruneken usque in stagnum Cyten, et dictorum stagnorum medietas est canonicorum alia dominorum de Uckera. Item villam Bruneke cum suis limitibus sicut linea siue Iyra aratro tracta est a stagno Cyten usque ad campum Speninghet). Item villas Gollin, Schönberg,

\*) Nach Buchholz: pro nostris, progenitorum nostrorum et filiorum ac successorum nostrorum etc.

\*\*) Buchholz: subscriptas sex.

\*\*\*) Buchholz: Bruckow.

†) Buchholz: Spencynse.